



I V S 1762, 6.
 RETROEMENDI INDEFINITE
 CONCESSVM TEMPORE
 LONGISSIMO PRAESCRIBI

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV

P R A E S I D E

D. HENRICO GODOFREDO BAVERO

SVPREM. CVR. PROVINC. ET CONSIST.

LIPSIENS. ADV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXVIII. MAII A. C. MDCCLXII.

D E F E N D E T

IOHANNES FLORIANVS HEYDERICH

VARNSTAD. QVERFORTENS.

L I P S I A E
 EX OFFICINA BREITKOPFIA.

172

RETROEMINDI INDEFINITE

CONCESSVM TEMPORE

LONGISSIMO PRAESCRIBI

ILLUSTRISSIMO IUSTITIAE ORDINI

FRANCOFURTI

HENRICO GODFREDO BAYERO

FRANCOFURTI

IN AVBITORIO IUSTITIAE

FRANCOFURTI

FRANCOFURTI

JOHANNES FLORIANUS HEYBESCH

FRANCOFURTI

FRANCOFURTI


FRANCOFURTI

FRANCOFURTI

FRANCOFURTI

FRANCOFURTI





I V S
RETROEMENDI INDEFINITE
CONCESSVM AN TEMPORE LON-
GISSIMO PRAESCRIBATVR.

§. I.



Secunda contouersiis in iure nostro discepta- Plurimi
tionibusque est doctrina de vsucapionibus putant, ius
et praescriptionibus, quas alii iniquitatem retroemen-
continere summam, et iuri Naturae repu- di indefini-
gnare, alii, meo iudicio rectius, prudentissimo, nec in- te conce-
fesso naturalibus praecipis consilio, ciuili lege statutas, sum prae-
scriptioni
exentum
esse.

confirmatasque propugnant. In quibus haec etiam non
leuis occurrit, an is, qui alteri rem suam vendiderit, sibi
facultatem retroemendi, quodocunque libuerit, exercendam
pacto quaesuerit, temporis longissimi praescriptione prae-
cludatur. Plerique hoc negant, atque adeo venditorem,
elapso etiam longissimo tempore, admittunt, inter quos suffi-
ciat appellare WISENBACHIVM *ad Pandect. Disp.*
XXXV. th. 32. VOETIVM *ad Pandect. L. XVIII.*
Tit. III. §. 8. MENCKENIVM *ad Pand. L. XVIII.*
Tit. I. §. 36. WERNHERVM *Vol. I. P. I. Obseru. 313.*

IV

et STRUVIVM in *Iurispr. Rom. Germ. L. III. Tit. XI. §. 17.* nec non SCHAVMBVRGIVM in *Anotatt. ad hunc autorem,* et BERGERVM *Oec. Jur. L. III. Tit. V. §. 8. not. 2.*

§. 2.

Quod re-
ctius cum
Vinnio et
aliis nega-
tur.

Rectius, si verum intelligo, ob stare retroementi longissimum tempus, sentiunt BRONCHORST *Cent. XXVII. Tit. V. §. 10.* THOMASIVS in *Schol. ad hunc loc. et VINNIVS Selectar. Jur. Quaest. Lib. II. Cap. VI.* Horum igitur sententiam contra aduersarios tueri ac defendere constitui. Est nimirum per *l. 3. C. d. Praeser. XXX. vel XL. annor. et l. 1. §. 1. C. d. annal. except.* iuris indubii, omnes omnino actiones personales, aut triginta, aut, propter singularem, vel rei, vel personae, fauorem, quadraginta annorum termino praeccludi. Nec apparet, cur hoc intuitu, exceptio, quam nulla lex iuris nostri continet, admittenda esse videatur, aut praescriptis verbis dixeris cum *l. 2. C. d. pact. int. emtor. et vendit.* aut, ex vendito actionem, ex pacto retrouendendi, contractui emtionis adiecto, resultantem.

§. 3.

Dubia ad-
uersario-
rum re-
censentur.

Quos, vero, supra, iuris interpretes, huic nostrae aduersam amplecti sententiam vidimus, his potissimum vtuntur rationibus, vt dicant, iam natae tantum actioni, et, quae moueri potuerit, praescribi posse, quod est indubium, secundum notissimum illud, quo, non valenti agere nullam currere praescriptionem, docemur, idemque huc pertinere propterea sibi persuadent, quod actio de retrouendendo post oblatum demum

mum pretium nascatur. Quod ipsum tamen nequaquam
 admitto, ut potius, quam actio sit ius, in iudicio, quod sibi
 debeatur, persequendi, statim, atque ius nobis aliquod quaesi-
 tum est, actio, siue remedium, eius coram iudice persequendi,
 quaesitum sit, oporteat. Quumque causa retroemendi iuris,
 quoniam per naturam quilibet liber est rei sibi quaesitae mo-
 derator et arbiter, sit pactum venditioni adiectum, necesse
 est, ut, si indefinita retroemendi facultas venditori data sit, hic
 statim ad retroemendum ex vendito agere valeat, modo si-
 mul ad praestandam solutionem paratum se fateatur, prout
 nemo facile cum WISENBACHIO *cit. l.* putauerit, inanem
 esse emti actionem, qua actor simul offerat pretium, nisi an-
 tea extrajudicialiter nummos venditori obtulerit, cuius rei
 contrarium quotidiana praxis, et natura rei ipsa comprobat,
 quae, procul dubio, iudicis auxilio interueniente, facere per-
 mittit, quod cuilibet soli suscipere est integrum. Nec ap-
 pareat, quid huic sententiae aduersi contineat *l. 13. §. 8. D. d.*
Act. emt. et vend. vbi VLPIANVS ex emto agentem, inte-
 grum pretium offerre, iubet, non vero, ut ante motam actio-
 nem oblatum fuerit, desiderat. Aequè minus refragatur
l. 9. §. 3. D. d. Pignorat. act. Ibi solutionem praestitam
 idem VLPIANVS supponit, instituta actione pignoratitia.
 Etenim, si verbis ipsis inhaeremus legis, consequitur, nisi de-
 bitor pecuniam solutam penes creditorem reliquerit, pigno-
 ratitiam ipsi concedendam haud esse actionem, quam quum
 nemo affinxerit opinionem ICto, sine dubio idem esse debet,
 aut ante motam actionem oblata solutio fuerit, aut coram
 iudice, quo ipso mouetur tempore, offeratur.

Deinde non magis verum est, quod et WISSENBACHIVS, et reliqui supra citati iuris interpretes confirmant, pretii offerendi non tam ius esse, quam facultatem in arbitrio venditoris positam, quod iure suo negat HVBERTVS ob id, quod ius, ex conventionem cum altero, quaesitum ad res merae facultatis recenseri haud patiat, quum Imperatores *citt. l. 3. C. Praescript. XXX. vel XL. annor. et l. 1. §. 1. C. d. annal. except.* praescriptioni diserte illud subiiciant. Nimis longum foret, nec huius rei ratio permittit, fusus monere, quid mihi circa actuum merae facultatis, siue praescriptioni exemptorum, definitiones doctorum, quas copiose recenset GRIBNERVS *Select. Opusculor. Iur. Publ. Tom. IV. §. 20. p. m. 147.* videatur.

§. 5.

Dicam tamen, quid mihi de notione eorum videatur. Scilicet puto, actus merae facultatis esse, qui vel ex libertate naturali, vel ex iure communi, nulla concurrente alterius, quae ex facto aliquo, vel licito vel illicito, vel vero vel ficto, descendat, obligatione, adeo libere vel suscipiuntur, vel omituntur, ut intermittenti nulla praescriptio metuenda sit. Inde, re sua uti, vel non uti, est in facultate nostra positum. Re vero sua ab altero possessa uti oportet, ne praescriptione domini ius interuertatur. Inde ab altero prohibitus re sua uti, ut ea debet, definitque adeo post prohibitionem usus eius esse actus merae facultatis, quia praescriptio feruitutis domino metuenda est. Inde ex mutuo alterum conuenire non est actus merae facultatis, quia hoc ius ex contractu quaesitum est, cuiusmodi iura omnia, quod vidimus, praescriptioni sunt obnoxia.

§. 6.

§. 6. V

Idemque de retroemendi iure, nude, nec addita formula: *Ex prae-*
quandocunque liberit, BERGERVS *Oec. Iur. L. III. Tit. V. §. 8.* *missis col-*
not. 2. nec non SCHAUMBVRGIUS *in Annot. ad STRUVII Iuris-* *ligitur, ve-*
prudens. Lib. III. Tit. XI. aph. 17. de eo, ex tempore, conce- *troentio-*
 ditur, ut videlicet ille, statim post venditionem perfe- *nem ad*
 ctam, hic, post elapsum tempus, quo venditori retroemendi *actus me-*
 licentia denegata fuerit, praescriptionem longissimi tempo- *rae facul-*
 ris venditori currere concedant. Eandemque cum BERGE- *tatis haud*
 RO sententiam WISSENBACHIVS quoque *cit. loc. th. 33.* nec non *pertinere.*
 VOETIVS et WERNHERVS *cit. locc.* fouere videntur, eoque ipso
 rationem illam, quod videlicet non, nisi oblato pretio, actio
 ex pacto de retroemendo nascatur, ipsi euertunt, et principi-
 um sententiae suae in eo, quod emtor contra promissionem
 venditori factam, obtentu praescriptionis, agere nequeat, vni-
 ce collocant. At enim vero idem quoque promississe censend-
 us est emtor, qui, sine restrictione ad certum tempus, retroe-
 mendi facultatem venditori dedit, cum eadem vis taciti esse
 debeat, quae expressi. Igitur si verum est, quod legimus,
 uti verum est, priuatorum pactioibus iuri publico, quod in
 constituenda praescriptione ad securitatem publicam, et, ut
 certa sint aliquando dominia, respexit, derogari non debere,
 quis talem huic formulae vim tribuat. Instas, et negligentiam,
 quae ipsa quoque constituendae praescriptioni causam
 dederit, subesse nullam dicis eius, qui ius suum contra eum
 haud persequatur, qui ipse ei semper obtemperare promiserit.
 Quod ipsum speciosius est, quam verius, quum in genere sciamus,
 vix esse, ut non videatur donare, siue ius suum desere-

re,

re, qui patiatur vsucapi. Vnde sufficere debet, adesse fundamentum praescriptionis. Idque adesse, ex eo probasse nobis videmur, quod nata ex conventionione iura omnia sunt praescriptioni obnoxia.

§. 7.

*Aequale iure
Canon. ac
iure Ciuili
praescrip-
tionem
admittit
ius retroe-
mendi.*

Idemque, quod iure Ciuili verum esse probauimus de praescriptione iuris retroemendi, non minus verum est iure Canonico, etsi STRVVIVS *cit. loc.* hoc potissimum iure, praescriptionem in retroemendi iure exulare contendat. Quam opinionem error iste, in quo ipse STRVVIVS in *Iurisprud. L. II. Tit. IX. aph. 18.* versatur, quod videlicet, sine distinctione, dominium, aut excipiendi ius, adquiri debeat, Ius Canonicum bonam praescribentis fidem exigat, procreasse videtur. Quum vero Ius Canonicum in eo tantum a Iure Ciuili recedat, quod perpetuam bonam fidem desideret, vbi Ius Ciuile talem, ab initio possessionis apprehensae, adesse iubet, necessario consequitur, quoniam Ius Ciuile, si de excipiendi iure, non de dominio quaerendo agitur, praeter temporis lapsum nihil exigit, non esse disparem, hoc intuitu, iuris Canonici rationem. Quaeque hactenus disputauimus Iuri communi consentanea esse, persuasum habeo, etsi, cum summa aequitatis laude aduersariorum sententiam Serenissimum Saxoniae Electoralis Llatorem P. II. C. I. probasse, non ignorem.




ULB Halle

006 385 451

3







3573.

I V S 1762, 6.
RETROEMENDI INDEFINITE
CONCESSVM TEMPORE
LONGISSIMO PRAESCRIBI

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV

P R A E S I D E

D. HENRICO GODOFREDO BAVERO

SVPREM. CVR. PROVINC. ET CONSIST.
LIPSIENS. ADV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXVIII. MAII A. C. MDCCLXII.

DEFENDET

IOHANNES FLORIANVS HEYDERICH

VARNSTAD. QVERFORTENS.

LIPSI AE

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

